



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

Sixtus IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)

ANN O
1472.SIXTUS QUARTUS,
PONTIFEX CCXVI.

ANNO DOMINI MCDLXXI.

Vide Compendium Vitæ in *Magn. Bullar. Roman. hujus Eait. Luxemb.* 1477. Tom. I. fol. 387.

I.
Ex histor.
univers. Pa-
rificen. Bulæ
Tom. 5. pag.
698.

Ad subvertendam Pragmaticam sanctionem hanc Bullam edit circa Beneficia in Galliarum Regno, Ordinariis sex menses concedens ad Beneficia conferenda, totidem sibi retinens: anno 1472.

SIXTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

AD universalis Ecclesiæ Regimen disponente clementia, vocatis inter alia pro commissorum Populorum votiva dilectione nil occurrit præstantius, quam exorta inter Personas Ecclesiasticas Principis tenebrarum astutia, discordiarum fomenta per nostræ sollicitudinis occursum protinus extinguere, ut cujusvis alterationis salubriter evulsis seminibus pacis, & tranquillitatis dulcedinem inter creditos nobis populos, divina nobis assistente gratia, imponere, & conservare valeamus. Cupientes itaque, ut suscitata retroactis temporibus discordia, proh dolor! in Regno Franciæ Delphinatu aliis Terris, & Dominiis illustrissimi in Christo Filii nostri Ludovici Francorum Regis illustris, inter nonnullas ex eisdem personas occasione cujusdam constitutionis, quæ in eodem Regno diutius inolevit, quam Personæ prædictæ Pragmaticam sanctionem vocant, ne quod ablit, majora fomenta sumeret, damna pariter, & graviora scandala subsequerentur, sine debito claudatur, & totaliter secludatur, auctoritate Apostolica ex certa scientia, de fratrum nostrorum consilio, omnibus, & singulis Prælati, & aliis personis Ecclesiasticis Regni, Delphinatus, Terrarum, & Dominorum eorundem collatio, proviſio, præsentatio, electio, seu quævis alia dispositio pertinet de quibusvis dignitatibus, administrationibus, Officiis, Canonicatibus, & Præbendis, nec non aliis Beneficiis Ecclesiasticis cum cura, & sine cura, secularibus, & regularibus ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem pertinentibus, quæ deinceps in Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris, & Decembris mensibus futuris, perpetuis temporibus vacare contigerit, dummodo dispositioni Apostolicæ ex aliqua reservatione generali in corpore Juris clausa, aut per alteram ex constitutionibus felicium recordationum Benedicti XIII. quæ incipit

ad regimen: aut Joannis XXII. Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, quæ incipit: Execrabilis: per constitutiones, & regulam Cancellariæ Apostolicæ per nos super hoc editas reservata generaliter non existant, perinde ac si aliquæ à sede Apostolica, vel ejus Legatis expectativæ literæ non emanassent, liberè disponendi facultatem concedimus per præsentem. Et quia isti summi Pontifices Prædecessores nostri consueverunt se in concessionibus Gratiarum expectatarum personis bene meritis exhibere liberales, nostræ intentionis existit concedere in Regno, Delphinatu, Terris, & Dominiis concessas, quibus in aliquo præjudicare non intendimus per præsentem, quasque in suo robore permanere volumus, sex personis idoneis Regnicolis, sex alias Gratiarum expectativas ad quamlibet collationem, provisionem, præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem singulorum ex Prælati, & aliis personis prædictis. Ex quibus quidem sex gratis duæ gratiæ expectativæ concedantur duobus Clericis regnicolis idoneis, pro quibus Rex ipse Christianissimus, & charissima in Christo filia nostra Regina, ac dilectus Filius nobilis vir Delphinus Viennensis, nec non Magistri, & Præsidentes, ac alii Officarii in aliquo ex Parliamentis Regis ejusdem Regni nobis super hoc unanimiter supplicabunt, qui duo nominati per Regem, & Reginam, Delphinum, Magistros, Præsidentes, & Officiarios præfatos gaudeant prærogativis ad instar familiarium nostrorum continuorum commensalium. Ipsiſque sex gratis consumptis, alias sex gratias similes aliis sex gratis personis idoneis modo, & forma præmissis concedere intendimus. Volumus autem, ac eisdem auctoritate, & tenore præsentium discernimus, & declaramus Beneficia, quæ Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium familiares, continui commensales eorum familiaritate durante in Regno, Delphinatu, Terris, & Dominiis præfatis obtinent, & in posterum obtinebunt, dispositioni Apostolicæ in posterum censi reservata, quandiu duntaxat Cardinales præfati vitam duxerint in humanis, ac post obitum eorundem Cardinalium per sex annos continuè sequentes. Quibus quidem sex annis elapsis, alii ad quos eorundem Beneficiorum collatio, proviſio, præsentatio, electio, seu quævis alia dispositio aliis pertinet de Beneficiis familiarium hujusmodi in Regno, Delphinatu, Terris, & Dominiis præfatis consistentibus in prædictis mensibus disponere valeant, hujusmodi reservatione non obstante. Concedimus etiam, quod Beneficiorum, quæ promovendi per nos ad dignitates, seu Beneficia consistorialia prædicta, ac munus consecrationis eisdem promovendis impendendum, seu lapsus temporis de consecrandis Episcopis à Sacris Canonibus definiti vacaturorum, si promotiones ipsæ in aliquo ex supra dictis mensibus fiant, nisi Beneficia ipsa essent aliis dispositioni Apostolicæ, ut præfertur, reservata ad Prælatos, & personas supra dictas. Si verò in aliis mensibus promotiones eisdem fieri contingat, ad nos & Romanos Pontifices Successores nostros, collatio, proviſio,

ANN O
1472.

& omnimoda dispositio pertinebat. Et quoniam Notarios gestari solitum publice & continue gestant, & in posterum gestabunt. Beneficium in eisdem Regno, Delphinatu, & Terris consistentia duntaxat censeantur reservata; Quodque omnes, & singulae causae Beneficiales in partibus coram Judicibus competentibus, usque ad definitivam inclusivè, & in prima duntaxat instantia, in qua nulli ante definitivam liceat appellare nec appellatio, si fuerit emissa, debeat admitti, nisi ab interlocutoria, vel à gravamine negotium principale minime concernente, quod non possit per appellationem à definitiva sententia reparari: In aliis vero instantiis in Curia Romana tractentur, cognoscantur, & sine debito terminentur. Causae vero Beneficiales pendentes in dicta Curia inter nos, aut dictorum Cardinalium familiares continuos commensales, ipsis Cardinalibus in eadem Curia praesentibus, seu in aliqua Legatione, aut recreationis causa secedentibus, nec non praefatae sedis Officiales officia actum exercentes, aut alios à praemissis, qui per sex menses curiam praedictam sequuti sunt, & sequuntur de praesenti, Curiales, & quoscumque alios eorum Adversarios super quibusvis Beneficiis eisdem Adversariis auctoritate ordinaria collatis, per illos, quibus commissae reperiantur, seu alios per nos ad id deputatos, seu etiam deputandos Judices audiantur, cognoscantur, decidentur, sineque debito terminentur, ac executioni debitae demandentur. Caetera vero causae similes Beneficiales inter quoscumque alios pendentes, & quae quibusvis Judicibus seu Auditoribus commissae reperiantur, aliis Judicibus competentibus in Regno Franciae auctoritate Apostolica audiendae, cognoscendae, decidendae, & sine debito terminandae, cum necessaria earundem causarum advocacy. Praeterea quia aliqua ex supra dictis causis in eadem Romana curia super petitorio à diversis curiis ipsius Regni super possessorio tractatur, volumus, quod in eisdem causis in diversis curiis super petitorio, & possessorio unico, & eodem contextu pendentibus, suspensio petitorio, & censuris super hoc latis, in possessorio, in curiis eorundem Judicum coram quibus causae possessorii pendunt de praesenti procedant causaeque ipsae super huiusmodi possessorio intra biennium terminentur, & finiantur. Alioquin biennio elapso liceat Partibus ipsis procedere super petitorio, & alterius dictis causis expeditis super possessorio, aut huiusmodi biennio elapso altera partium litigantium coram Iudice competente auctoritate Apostolica deputato, poterit Jus suum prosequi, ipseque Apostolicus Iudex intra aliud biennium causam in petitorio terminare teneatur. Quod si non fecerit causa ipsa ab ea evocata, & lis penitus extincta censeatur. Et si forsan aliquis eorumdem Judicum uniusvis sibi commissae causae expeditionem malitiose prorogare, aut differre praesumpserit, excommunicationis, & omnium Beneficiorum privationis poenas ipso facto incurrat, à qua quidem excommunicationis poena absolvi nequeat, nisi à nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus, praeterquam in mortis articulo; quodque de caetero in litteris expediendis in Regno Franciae, Delphinatu, & Terris, aliisque Dominiis praedictis serventur taxae super hoc editae per Joannem

XXII. Papam praefatum, & excessus. si qui fuerint, corriguntur. Et quia propter assiduas guerras, & novitates, quae continue vigent in dicto Regno, praetenditur Ecclesias, dum vacant, gravatas in taxa etiam reformata in Concilio Constantiensi, quae reducta est ad medietatem antiquae taxae, quod gravatus in eadem taxa Praelatus promovendus solvat communia, & minuta servitia, quae plures ex Gallis Annatam vocant, tantum pro vera aestimatione fructuum Ecclesiae, & monasterii, ad quae sic promovetur, & in dicta Cancellaria, & Camera Apostolica inviolabiliter servari mandamus, & quia supra dictis concessionibus Regnum, ac Regem maxima sumus charitate complexi, credendum est non immerito, ut se devotos, & obediens erga Sanctam Romanam Ecclesiam exhibeant. Quare volumus, & eisdem auctoritate, & tenore statuimus, quod praefatus Rex intra quatuor menses praemissa acceptare, & observare, ac in Regno, Delphinatu, & Dominiis huiusmodi observari facere, nec non intra alios duos praefatos quatuor immediatè sequentes menses super acceptatione, & observatione, aliisque praemissis omnibus, & singulis per suas patentes litteras nos, & sedem praefatam certificare teneatur. Alioquin praesentes litterae, & inde sequuta quaecumque sint cassa & irrita, nulliusque roboris, vel momenti. Nos enim ex tunc irritum discernimus, & inane, si secus super his à quocumque auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat &c.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae 1472. Idus Augusti, Pontificatus nostri anno primo.

Ad LUDOVICUM Francorum Regem; conqueritur quod concordata non observet. quae extant inter extravagantes communes Cap. ad Universales de Treuga & Pace: anno 1474.

S I X T I P A P A E I V.

Carissime in Christo Fili noster, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Quotidie ad nos praefertur ex querelis multorum, concordata inter nos & te non observari, sed provisiones Apostolicas deferentes capi, & contumelias & injuriis affici; quod est nobis & molestum, & de Majestate tua, quae Christianissima est & Apostolicae sedis observantissima, semper fuit creditu admodum difficile: quamquam existimamus tuorum potius quam Celsitudinis tuae culpa id fieri.

Haec cum aperte tendant in diminutionem honoris tui, & sedis Apostolicae contemptum, non debes pro singulari sapientia tua id ullo modo tolerare. Non enim te latet, quanta cum difficultate Venerabiles Fratres nostros adduxerimus, ut huiusmodi concordatis & conventionibus assentirentur: quod libenter quidem fecimus; primo ne tanta animarum multitudo, quae in inclyto tuo Regno

ANN O
1474.II.
Ex spicil.
Dacheri
Tom. 3.
pag. 844.

est,

ANNO
1474.

est, huiusmodi Pragmaticæ labe amplius involveretur & periclitaretur: tùm etiam ut & honori tuo, qui Christianissimus es, & quem singulari caritate prosequimur, & honori sanctæ Romanæ Ecclesiæ pariter consuleretur: quod secus evenire intelligimus, & plurimum admiramur; nam postquam huiusmodi concordata Oratores tui ad te detulerunt, ratificationem quamdam transmisisti per dilectum Filium Ludovicum de Amboisâ Procuratorem tuum, quam ad te remisimus, propter quod insufficiens erat, petentes ut pleniorum ad nos remitteres, quæ nunquam postea missa est, neque aliquid amplius adivinus in tanto temporis spatio, non sine magnâ omnium admiratione. Quamobrem hortamur & rogamus Celsitudinem tuam, ut aut ratificationem plenam ad nos mittat, & concordata faciat inviolabiliter observari, aut Bullam ipsam concordatorum remittat.

Aliter enim non videmus quomodo & honori tuo consuli possit & sedi Apostolicæ, quæ dum in dies promissa adimpleri expectat, magno afficitur detrimento.

Quod te pro singulari religione animi tui & devotione, quâ nos & sedem hanc sanctam prosequeris, diligenter consideratum & adimpleturum esse non dubitamus. Hac in re laetius ipsam tuam Majestatem alloquetur dilectus filius Andreas de Spiritibus Nuntius noster, cui fidem indubiam hortamur adhibeas.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die trigesimo Decembris, anno millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto, Pontificatus nostri anno tertio.

L. Grifus.

III.
Ex Oper.
Diplom. Mi-
ræi Tom. 2.
pag. 1266.

Quod in Ecclesiâ Metropolitanâ Colonienâ nullus ad octo præbendas Presbyterales assumatur nisi Doctor: anno 1474.

SIXTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Creditam nobis desuper regendæ militantis Ecclesiæ providentiam exsequi Deo adjuvante cupientes, ad ea libenter intendimus, ut debemus, per quæ singulæ Orbis Ecclesiæ, præsertim Metropolitanæ insignes & famosæ, personarum utilium fulcitur præfidiis, ad altissimi laudem & gloriam condignis honoribus & venustatis proficiant incrementis; eorumque bona & iura à quorumcumque occupatione observari valeant intacta.

Sanè pro parte charissimi in Christo Filii nostri Frederici Romanorum Imperatoris semper Augusti, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod Ecclesiâ Colonienfis insignis Metropolitanâ, cujus Sanctus Maternus, S. Petri discipulus, primus Præsul extitit, adeo inelyta & præclara existit, quod nulli nisi illustres, & magni nobiles, qui ex sextodecimo ascendente & ex illo gradatim descendentes nobilibus Antecessoribus suis restâ linæ sunt procreati, illius Canonicatus, & præbendas assequi possent; octo Canonicatibus

& Præbendis totidem duntaxat exceptis, quorum duo pro Graduatâ in Universitate studii Colonienfis reservati existunt, reliqui verò per ignobiles & plebejos; frequentius quoque per humiles personas, aut familiares quorundam Canonicorum dictæ Ecclesiæ, qui familiares ipsos in Canonicos dictæ Ecclesiæ recipi procurant; seu rudes & indoctos, qui illos vigore gratiarum expectatarum ipsi concessarum assequuntur. Et quod valde decori & utilitati dictæ Ecclesiæ & Jurium illius conservationi, nec non qualitatibus & præminentia nobilium Canonicorum prædictorum convenire videtur, quod dictæ octo Præbendæ duntaxat per viros illuminatos & scientia præditos, etsi non carne, scientia tamen & virtute nobilitatos, quorum prudentia & consilio dicta Ecclesiâ, quæ destituta & depauperata existit, sua recuperare possit, duntaxat obtineantur; prout in nonnullis Alemannicæ nationis Ecclesiis tam ex statutis, quam ex laudabilibus consuetudinibus, quæ per nonnullos Romanos Pontifices Prædecessores nostros confirmata fuerunt, hactenus observantur.

Quare pro parte ejusdem Imperatoris, qui ad Ecclesiâ ipsam specialem gerit devotionis affectum, nobis humiliter fuit supplicatum, ut quod de cætero perpetuis futuris temporibus dicti sex Canonicatus & Præbendæ, dum pro tempore vacaverint in quibuscumque mensibus, per dilectos Filios Decanum & Capitulum Ecclesiæ Doctoribus vel Licentiatâ in Theologia, aut in utroque vel altero jurium, qui cum rigore examinis in Universitate alicujus studii, loco in quo illud vigerit, generalis promoti fuerint, duntaxat conferri debeant & de illis provideri.

Nos igitur qui dictæ Ecclesiæ splendorem & venustatem appetimus, huiusmodi petitionibus inclinati Auctoritate Apostolicâ tenore præsentium ex certa nostra scientia statuimus & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus prædicti sex Canonicatus & Præbendæ, non ignobilibus plebeis, humilibusque personis & familiaribus præditis, sed duntaxat Doctoribus, & Licentiatâ in Theologia, vel altero Jurium, in aliquo studio generali cum rigore examinis duntaxat conferri possint, & debeant.

Datum anno MCCCCLXXIV. Pontificatus anno tertio.

Bulla Pontificis SIXTI IV. ad populum Urbis & Diocesis Genevensis, quâ recipiendus Episcopus Joannes de Compois: anno 1482.

SIXTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis Filiis Populo civitatis & Diocesis Gebennensis, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Hodie dilectum filium nostrum Dominicum tituli sancti Clementis Presbyterum Cardinalem ab eo quo Gebennensi cui ex concessione & dispensatione Apostolica, illius Regiminis & administrationis ac bonorum possessione vel quasi per eum non habita, &

ANNO
1482.IV.
Ex Archiv.
Resp. Genev.

ANN O
1483.

venerabilem fratrem nostrum Johannem Gebennensem tunc Taurinensem Episcopum, ab eo quo Taurinensi cui tunc praeerant Ecclesiis vinculis tenebantur, de fratrum nostrorum consilio & Apostolica potestatis plenitudine absolventes Dominicum Cardinalem ad Taurinensem, & Johannem Episcopum praefatos ad Gebennensem Ecclesiam praedictas per huiusmodi translationes respective vacante de eorundem fratrum consilio, duximus auctoritate Apostolica transferendos, praeficiendo eundem Johannem praefatae Ecclesiae Gebennensis in Episcopum & Pastorem, ac curam & administrationem ejusdem Ecclesiae Gebennensis sibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca universitatem vestram rogamus & hortamur attentè per Apostolica scripta vobis mandantes, quatinus eundem Johannem Episcopum tanquam Patrem & Pastorem animarum vestrarum grato admittentes honore, exhibeatis eidem obedientiam & reverentiam debitas & devotas, ita quod ipse in vobis devotionis filios, & vos in eo per consequens patrem invenisse benivolum gaudeatis.

9. Cal. Aug.
1483.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo octuagesimo secundo. Nono Cal. Augusti Pontificatus nostri anno undecimo.
G. Bonattus.

V.
Ex Archiv.
Recip. Genev.

Bulla SIXTI IV. qua praecipit Duci Sabaudiae aut ejus Consiliariis ne ulterius infesti sint Episcopo Genevensi, utque omnia tollantur obstacula, quibus non permittitur ipsis libera & suprema suae Ecclesiae possessio: Et si desinat obsequio ferit interdicto omnes inobedientes, Urbem & Diocesim ipsam Genevensem, & omnes terras & Dominia Ducis Sabaudiae ultra montes. Ea in Bulla inserta est revocatio summi Jutis in Genevam, Duci Zeringuen concessi, & cessi Comiti Genevensis, facta anno 1162. ab Imperatore Friderico: an. 1483.

SIXTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Solicitude pastoralis officii studia nostrae mentis sollicitate non desinit, sic rebus singulis executionem adhibere justitiae, quod ea quae minus rite, & in Ecclesiarum praesertim Cathedralium, illarumque Praelatorum praerogativa processerunt, ad statum debitum reducantur. Dudum siquidem à clarae memoriae Friderico Romanorum Imperatore semper Augusto emanarunt litterae tenoris subsequentes. Fridericus Dei gratia &c. acta sunt haec &c. septimo Id. Septembris ac praesenti pagina sigilli aurei assueti impressione munita; in fine verò dictarum litterarum Imperialium, scripta sunt haec verba videlicet, signum Domini Friderici Imperatoris invictissimi, in extremitate verò scripta sunt haec verba, videlicet, Ego Herolfus Cancellarius vice Arnoldi Maguntinensis Archiepiscopi & Archicancellarii recognovi; Et insuper emanarunt litterae diversorum aliorum Imperatorum, videlicet Vincelai & Caroli, multipliciaque alia privilegia Imperialia dictae Ecclesiae Gebennensi concessa, nec non litterae patentes multiplicatae Principum Sabaudiae, quarum omnium tenorem pro expressis haberi volumus, ac si praesentibus infere-

ANN O
1483.

rentur per quas petebant sibi de gratia speciali per Episcopum ac suos officiales dari territorium, quo tempore ibidem morabantur ut possent ibidem suis ducalibus subditis civilem justitiam ministrare, per quae omnia constat civitatem Gebennensem cum castris pleno jure in spiritualibus & temporalibus pertinere ad Episcopum & Ecclesiam Gebennensem. Cum autem sicut non sine grandi displicentia intelleximus iniquitatis filii Amadeus de Ginguo & Amadeus de Griliaco Ancehinus copini Gebennensis, Johannes Antonius Gambe Thaurinensis Diocesis, cum nonnullis eorum complicibus & sequacibus, de commissione & mandato ut asseruerunt dilecti filii Nobilis Viri Caroli Ducis Sabaudiae, armata manu, vi & violentia Venerabilem Fratrem nostrum Johannem Episcopum Gebennensem, quem à vinculo quo Ecclesiae Thaurinensi cui tunc praeerat de fratrum nostrorum consilio & Apostolica potestatis plenitudine absolventes, ad Ecclesiam ipsam Gebennensem tunc certo modo vacantem de eorundem fratrum consilio transfulimus, praeficiendo eum eidem Gebennensi Ecclesiae in Episcopum & pastorem, quasi possessione jurisdictionis & Superioritatis temporalis Civitatis praedictae Gebennensis ac castrorum & bonorum dictae Ecclesiae, in qua erat & per aliquos menses permanserat, spoliare & ejusdem Civitatis cives & incolas praefatae Gebennensis Ecclesiae Vasallos & subditos ne dicto Episcopo & ejus Officialibus quoquomodo pareant, & obediant, sed praefatum Ducem & inibi pro eo ad jurisdictionem & superioritatem huiusmodi in eisdem temporalibus exercendam deputatos, in suos superiores in huiusmodi temporalibus recognoscat compellere temerario ausu veriti non fuerunt, & continuo in huiusmodi eorum praesumptuosa temeritate perseverare non vereantur in Apostolica auctoritatis contemptum, perniciosum exemplum & scandalum plurimorum & praefati Episcopi qui propter hoc de sua Sede expulsus ad Romanam curiam se contulit & in ea residet de praesenti, maximum praerogativam & gravamen. Nos, quorum interest huiusmodi pravis conatibus evidenter ad perniciem tendentibus salubriter obviare & ut Ecclesiarum Praelatorum potiorum praesertim dignitatum titulis insigniti, in suis juribus conserventur, opportunum adhibere remedium, ne si universis universa licerent par videatur in singulis jurisdictione singulorum, & Petri navicula, quam Dominus noster Jesus Christus ad humani corporis formam figuravit, ponens in ea Romanam Ecclesiam velut caput, sine remige fluctuari, de praemissis, quae adeo etiam in praefata curia Romana notoria sunt, & nulla possint tergiversatione celari, informati, motu proprio, non ad praefati Episcopi aut alterius pro eo nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione & ex certa nostra scientia auctoritate apostolica praesentium tenore, praefatum Ducem Sabaudiae & ejus in Ducatu Sabaudiae regimine consiliarios cujuscunque status, gradus, ordinis & conditionis existant, requirimus & monemus, ac eis & cuilibet eorum per haec Apostolica scripta mandamus, quatinus infra triginta dies post affixionem praesentium in valvis Gebennensium vel aliarum Ecclesiarum seu locorum circumvicinorum, quorum decem pro primo, & alios decem pro secundo, ac reliquos decem dies pro ultimo & peremptorio termino canonica monitione promissa, assignamus, deputatos nomine ipsius Ducis ad exercitium

tempora-

ANN O
1483.

temporalis jurisdictionis & superioritatis, ac Palatii, castrorum dictae Ecclesiae Gebennensis custodiam, officiales, & Castellanos, ac custodes, reliquosque praemissa & quaecunque alia impedimenta, eidem Johanni Episcopo & suis Officialibus in sua superioritatis & jurisdictionis temporalis & spiritualis libero exercitio in civitate, Palatio & castris suis praedictis, cum effectu revocent, & ab illis ex toto desistant, ac ipsum Episcopum per se & ejus Officiales quasi possessione jurisdictionis & superioritatis hujusmodi etiam temporalis, in civitate, Palatio & Castris praedictis, pariter & in spiritualibus, in illis & Diocesi Gebennensi, libere & sine ullo ipsorum Ducis & Consiliarium impedimento pacifice potiri & gaudere permittant cum effectu, nec non de damnis & interesse, quae idem Episcopus & sui Officiales praemissorum occasione incurrerunt, eis debitam satisfactionem impendant, aut alias cum eisdem desuper concordent & componant: Alioquin si non paruerint, in singulos ejusdem Ducis Sabaudiae Consiliarios sic monitos non parentes, ex nunc prout ex tunc, si Episcopi & superiores Ecclesiastici interdicti ingressus Ecclesiae, si vero alii ab eis inferiores fuerint, majoris excommunicationis & anathematis sententiam promulgamus, a qua ab alio quam Romano Pontifice praeterquam in mortis articulo, constituti nequeant absolutio- nis beneficium obtinere, & si excommunicati & anathematizati praedicti hujusmodi excommuni- cationis sententiam per octo dies dictos poste- riores, decem dies immediate sequentes, animo quod absit sustinerint indurato, ex nunc pro- ut ex tunc dictis octo diebus decursis, Diocesim Gebennensem & illius castra & loca omnia, Ecclesiastico subjicimus interdicto: Et si sub in- terdicto hujusmodi per sex dies dictos octo dies immediate sequentes permanere obstinata duritia non formidaverint, ex nunc prout ex tunc, quaecunque civitates, castra & loca tempo- rali Dominio dicti Ducis ultra montes media- te vel immediate subiecta pari Ecclesiastico subji- cimus interdicto, ita ut hujusmodi interdicto durante, inibi praeterquam in festivitibus & casibus a jure permisis, & in illis duntaxat clausis januis, ac excommunicatis & inter- dictis exclusis, submissa voce, ex quovis etiam Apostolico privilegio, etiam ordinariis loco- rum vel personis aliis aut Ecclesiis sive locis concessis, missae & alia divina officia nequeant celebrari; Et volentes non solum adversus hu- jusmodi sic praestita dicto Johanni impedimenta, sed etiam ne alia impostera sibi praestentur, neve ipse Johannes Episcopus Gebennensis spirituali & temporalis jurisdictione & superio- ritate hujusmodi illiusque pacifica quasi posses- sione & libero exercitio uti impediatur; eisdem motu & scientia, statuimus & ordinamus quod si praefatus vel pro tempore existens Dux Sa- baudiae aut alius superior vel inferior eodem Duce, Ecclesiasticus vel Secularis, cujuscunque status, ordinis & conditionis, seu quaevis com- munitas vel universitas, praefatum Johannem Antistitem Gebennensem, gratiam & commu- nionem Apostolicae Sedis habentem, possessionem vel quasi regiminis & administrationis dictae Ecclesiae Gebennensis & superioritatis ac temporalis jurisdictionis praedictae, in totum vel in parte assequatur, vel postquam assecu- tus fuerit, illis libere utatur, impedire, aut incolas civitatis praedictae, quae inter loca do- minii ipsius Ducis sita est, commercium cum incolis circumvicinorum locorum aut delationem victualium & mercantiarum ex illis ad civita-

tem ipsam Gebennensem denegare, directe vel indirecte publice vel occulte, praesumpserint, toriens quotiens id egerint, quicumque fuerint etiam quaecunque Ecclesiastica vel mundana di- gnitate praefulgentes, auxilium, consilium vel favorem dantes, literas praecipientes scriben- tes, signantes, sigillantes, impetrantes & exequentes, Personis ipsius Ducis, Fratris, patruorum ejusdem & suarum conjugum ex- ceptis, Episcopi & Superiores interdicti & anathematis sententiam praedictam, incurrunt, a qua pari modo nequeant ab alio quam nobis & Romano Pontifice pro tempore existen- te praeterquam in mortis articulo constituti absolutio- nis beneficium obtinere. Et si post publicationem & affixionem praesentium vel earum transumpti autentici manu publici nota- rii subscripti & sigillo alicujus Praelati muniti, in valvis Gebennensis praedictae aut alicujus circumvicinae Ecclesiae de mandato praefati Jo- hannis Episcopi & suarum litterarum cautam publicationis & affixionis continentium, praes- tita tunc impedimenta quaecunque non revoca- verint & de damnis ac interesse quae propter illa Johannes Episcopus Gebennensis passus fuerit, ei non satisfecerint, aut alias secum de- super amicabiliter non concordarint, ex tunc lapsis decem, Diocesim Gebennensem, & vi- ginti diebus post hujusmodi publicationem & affixionem loca quaecunque ultra montes do- minii Ducis praefati, excommunicatorum eorundem mediata vel immediata simili Eccle- siastico subjaceant interdicto. Et nihilominus omnibus & singulis locorum circumvicinorum ordinariis, ac in eisdem locis consistentibus Ecclesiarum quarumlibet Cathedralium, etiam Metropolitanensium nec non Collegiarum, Monasteriorum, Prioratum, Domorum & Religiosorum locorum, ordinum quorumcum- que etiam mendicantium, exemptorum & non exemptorum, Capitulis, Canonicis, Abbati- bus, Prioribus, Conventibus, Guardianis, Fratribus & Personis Ecclesiasticis quibuscunque & eorum cuilibet, ita quod alter alterum in exequendis non expectet, sub excommuni- cationis sententiae poena si non paruerint incurren- da, motu scientia & auctoritate praedictis mandamus quatinus ipsi & quilibet eorum, cum tenor praesentium litterarum ad eorum no- titiam pervenerit, fuerintque pro parte dicti Johannis & pro tempore existentis Episcopi Gebennensis desuper legitime requisiti, has nostras litteras, seu earum transumptum praedictum, cui in judicio & extra ubique loco- rum sicut praesentibus stari volumus, in ip- sarum Ecclesiarum valvis affigant, & alias in eorum sermonibus ad populum publicent, & praedicent in locis praeminentibus in quibus & de quibus sit verisimilis conjectura, quod ad ipsorum quos pro tempore contingeret no- titiam possit verisimiliter pervenire, eademque Ducis Sabaudiae Consiliarios & alios monitos praedictos pro tempore statuto praedicto con- travenientes, in Ecclesiis singulis diebus Do- minicis & aliis festivis, dum major inibi po- puli multitudo ad divina convenerit excom- municatos & Diocesim ac alia loca praedicta, Ecclesiastico interdicto subiecta esse publice nuntient, faciantque ab aliis nuntari, & ab omnibus arctius evitari, donec spiritum assu- mentes consilii sanioris ab illatis impedin- tis desissent, & satisfactione praevia meruerint absolutio- nis beneficium a dicta excommuni- cationis sententia, & interdicti praefati relaxa- tionem obtinere: Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis contrariis

ANN O
1483.

ANNO
1484.

quibuscunque seu si Duci & Consiliariis prefatis vel quibusvis aliis communiter vel divisim à Sede prefata indultum existat quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem quod presentium litterarum publicatio in valvis Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe & audientie litterarum contradicatarum facta, perinde ipsum modernum Ducem & ejus Consiliarios ac prefatos monitos arceat, ac si eis & cuilibet eorum personaliter & presencialiter insinuata fuissent, Personas ipsius Ducis fratrum & Patruorum suorum ac eorum conjugum à supra dictis censuris eximentes, penis juris & Constitutionum Apostolicarum in suo robore permanentibus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginem requisitionis, monitionis, mandati, assignationis, promulgationis, subjectionis, statuti, ordinationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contra ire: si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio. Tertio Non. Februarii, Pontificatus nostri anno tertio decimo.
Jo. de Madiis.

INNOCENTIUS OCTAVUS
PONTIFEX CCXVII.

ANNO DOMINI MCDLXXXIV.

Innocentius Genuensis nomine Joannis Baptistæ Cibo anno 1484. Principibus Christianis contra Turcam concitatis, rem suam impensè ampliavit: à Carolo VIII. Galliarum Rege, Zizimum Fratrem Bajazetis obtinuit, hac lege nè Româ egrederetur: Obiit anno 1492. (*Magni Bullarii Romani hujus Editionis Luxemb. 1727. Tom. I. fol. 429. App.*)

I.
Ex Archiv.
Capituli
Genevensis.

Bulla Innocentii Papæ VIII. pro confirmatione statutorum Ecclesiæ Cathedralis Genevensis: an. 1484.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Sacro Sanctæ & militantis Ecclesiæ gubernacula divina disponente clementia meritis licet imparibus tenentes in terris de benignitate Sedis Apostolicæ provenire debere censemus, ut ea quæ honestate pace & tranquillitate, ac statu prospero Ecclesiarum quarumlibet prudenter, ac salubriter facta fuisse noscuntur, humilibus præsertim desuper votis petentium intervenientibus Apostolico munimine roborentur.

Sane pro parte dilectorum filiorum Capituli Ecclesiæ Gebennensis nobis nuper exhibita petitio continebat quod olim ipsi pro felici statu dictæ Ecclesiæ & illius personarum quiete ac divini cultus in illa augmento quam plura

statuta & ordinationes rationabilia & honesta, & sacris canonibus minime contraria diversis successive temporibus ediderunt pro ut in quibusdam litteris authenticis seu quodam libello ejusdem capituli confectis sigillis munitis, seu munito plenius continetur. Quare pro parte tam dictorum capituli quam dilecti filii Antonii Depoldo ipsius Ecclesiæ Canonici decretorum Doctoris in Romana curia causaque procuratoris nobis fuit humiliter supplicatum ut saluti, & ordinationibus prædictis pro eorum subsistentia firmiori robur Apostolicæ confirmationis adjicere aliasque in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignemur. Nos igitur qui cunctarum Ecclesiarum directionem ac statum prosperum & felicem interiori mentis desideramus affectu, quique litteras seu libellum huiusmodi & in illis contenta statuta prædicta in Cancellaria nostra per assistentes in eadem viros probos & honestos inspicere & examinari diligenter ac presentibus inferi fecimus singulares personas capituli huiusmodi ac prefatum Antonium ab omnibus & singulis excommunicationis suspensionis & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis censuris & penis à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant quoad hoc presentium duntaxat consequantur effectum absolventes & absolutos fore censentes huiusmodi supplicationibus inclinari ordinationes & statuta prædicta ac prout illa concernunt omnia & singula in litteris, sive libello huiusmodi contenta auctoritate Apostolica tenore presentium ex certa scientia confirmamus & approbamus ac presentibus scriptis patrocinio communimus suppletentes omnes & singulos defectus tam juris quam facti si qui forsan intervenerint in eisdem. Et nihilominus quia difficillimum est futuris eventibus in omnibus providere, contingere posset quod nonnulla ex institutis huiusmodi successu temporis aliqua etiam de causa minus utilia esse viderentur & propterea corrigenda forent eisdem capitulo. dummodo illorum majoris & sanioris partis ad hoc expressus accedat assensus statuta & ordinationes prædicta corrigendi & mutandi illisque addendi & ab eis minuendi secundum quod pro honore & utilitate dictæ Ecclesiæ ipsis visum fuerit, plenam & liberam auctoritate & scientia prædictis harum serie concedimus facultatem.

Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis cæterisque contrariis quibuscunque. Tenores verò litterarum, seu libelli, & statutorum, ac ordinationum prædictorum sequuntur, & sunt tales.

Quamvis sacri Canones sanctorumque Patrum & Conciliorum generalium sanctiones gravi perpensato consilio edicta promulgata fuerint, non adeo negotiis occurrentibus propter naturæ humanæ varietatem quæ semper conatur novas invenire negotiorum formas, proinde potuerunt quin etiam nova jura condere antiquis non sufficientibus salubre visum extiterit, imo & Ecclesiis Cathedralibus suppositisque earumdem Dominis venerabilibus Canonis circa ipsarum regimen Ecclesiarum ac conservationem ut in pace & quiete ipsi & minores Ecclesiarum manerent ac viverent statuta & ordinationes condere necessariumque fuerit alia interdum statuta secundum variatum tempus primis addere quibus per Venerabiles Dominos canonici insignis Ecclesiæ Cathedralis sancti Petri Gebennensis pro tempore existentes attentè consideratis statuta & ordinationes quæ sequuntur diversis tamen temporibus pro bono & con-

servatione

ANNO
1484.